



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 115. Franciæ Legati denuo a Papa audiri postulantes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C. 1459.

§. CXV.

*Franciæ Legati denuo a Papa audiri  
postulantes.*

Soluta hac Sessione, paucis post diebus Franciæ Legati Papam adeunt, privatumque alloquium sibi concedi postulant, afferentes, habere se aliqua de Regno Siciliae, quæ tamen nullatenus cunctis præsentibus, sed nonnullorum duntaxat Principum Legatis exponere vellent. Annuit Pontifex, data etiam, quoscunque cuperent, advocandi libertate. Advenerat sub idem ferme tempus Imperatoris Friderici Legatio, cujus Principes fuere, Episcopus Tridentinus, Marchio Badensis, & alii. Aderant & Legati Regis Castellæ, Episcopus quidam, & alius Monachus ex ordine FF. Minorum. Miserat & Alphonfus Lusitaniæ Rex Oratores suos. Hos igitur omnes ad alloquium sibi a Papa promissum accersunt Francorum Legati, cunctique Pontificem adeuntes, Rothomagensi Prætoridicendi provinciam demandant, qui Gallorum egregia pro Religione facinora, & quanta in Apostolicam Sedem beneficia contulissent, longo sermone enarravit, tandem, Regnum Siciliae quo pacto ad Francos pervenisset, & quam copioso sanguine fuisset emptum, exposuit, subjunxit-

junxitque, Alphonsum armorum potentia, non juris fulcro Regnum occupasse, summumque Pontificem rem sua Majestate indignam egisse, cum exclusis Gallis Filium Alphonsi spurium, qui potius a tanto Regno longius arceri promeritus esset, eidem præfecerit, atque Renatum legitimum Siciliæ Regem per summam injustitiam spreverit; cum tamen id Callistus Papa, quamvis Arragonensis, nunquam efficere ausus fuerit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1459.

§. CXVI.

*Legatorum postulata.*

Iidem ergo ad calcem Orationis postulant, ut Pontifex, cum Franci tantam injuriam ab eo passi essent, inconsulte gesta post maturam deliberationem revocaret, necnon Renato regnum addiceret, & Ferdinandum inde propelleret.

§. CXVII.

*Papæ responsum ad postulata Gallorum.*

His auditis cuncti, qui Francis favebant, animos erigebant, nec ausurum respondere Pontificem arbitrati sunt. Verum Pontifex nihil hæsitans, paucis usus verbis: *Audivimus inquit, Oratores regii! quæ pro Renati causa dixistis, non sine accusatione nostra. Nos quæ fecimus in Regno Siciliae consulente Cardinalium Se-*

Qq 4

natu